

LIII.

Anno 1246. 6. Kal. Decembris.

Bela IV. Rex Demetrii de genere Aba in sacra contra Saracenos expeditione ac filii ejus Alexandri in pugnibus contra Tartaros insignia merita recenset ac villis Adrian et Csatar remuneratur.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae et Cumaniae Rex etc.

Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. IV. vol. III. pag. 417.

(In hocce titulo Sclavonia Regni nomine primum occurrit, quod nusquam sub Regibus Arpadianae et mixtae stirpis invenias.)

LIV.

Anno 1248, die 29. Martii. Lugduni.

Innocentius IV. P. M. episcopo Segniensi (Philippo) datam petitam facultatem divina officia slavice, littera glagolitica, celebrandi.

Episcopo Sceniensi. Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclavonia est littera specialis, quam ipsius terrae clerici se habere a b. Hieronymo asserentes eam observant in divinis officiis celebrandis, unde ut illis efficiaris conformis et in terrae consuetudinem, in qua consistis episcopus, celebrandi divina secundum dictam litteram a nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur attendentes, quod sermo rei et non res est sermoni subjecta, licentiam tibi in illis dumtaxat ubi de consuetudine observantur premissa, dummodo sententia ex